



OTTO filius secundo loco natus fuit S. Lupol-
 di Marchionis Austriae, & Agnetis Henrici
 Caesaris 4. filiae. Hunc parentes optimis praecepto-
 ribus statim erudiendum tradiderunt, & post Lu-
 tetiam transmiserunt. ea enim indole & perspicaci
 ingenio erat praeditus ut in uirum doctissimum e-
 ualerit. Itaque Conradus 3. Imperator eius frater
 uterinus eum scrinijs suis praefecit, & Cancellarium
 elegit, cum quo etiam in Syriam profectus est. eam
 functionem cum optimè administrasset, omnium
 consensu in locum Henrici Ebersteinij uicesimus
 episcopus Frisingensis ordinatus est, anno millesi-
 mo centesimo quadragesimo. Vbi etiam magna
 laude per annos uiginti ecclesiam illam gubernauit, & Friderico Barbarossae
 à consilijs fuit. Interim opuscula quaedam non contemnendae lectionis con-
 scripsit, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam cum gloria transmisit.
 Inter quae extat opus insigne & omni laude prosequendum Historiarum octo
 libris distinctum. Habebat plurimos fratres magno loco constitutos, quorum
 Conradus praesul Salisburgensis & Patauiensis erat. praeterea Fridericus pa-
 ter Barbarossae eadem matre sed diuerso patre prognatus, Sueuiae dux aetate
 antecedeat. Itaque postea Otto ex fratre nepotis sui Friderici Caesaris uitam
 descripsit. Tandem etate fessus ad Cisterciense monasterium Moribundum se
 contulit, & ibidem mortuus & sepultus quiescit. Claruit circa annum millesi-
 mum centesimum quinquagesimum. Tritemius illum falso centum an-
 nis & amplius iuniorum fecit. Monstus lib. 3. Ger-
 man. Cuspin. in Aust.